Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in regione illa in die qua ratione venisset. Sed audivit
quia venit apostolus ut plures salvaret, et hoc ei debitum erat.
ut per manus meas idei hunc mundum relinqueret. Interrogavit
autem quis esset dominus eius et quod nomen haberet. et cuius regionis esset. Res
pondit thomas. Deus dominus deus tuus est. et dominus celi et terre huius
nomen audire non potes. sed quod datum est nomen ei in hoc seculo. est ihesus
christus. Minatus etiam regi quod ei non parceret cum maleficium eius abo
leretur ut omnis indie regio mundaretur. Respondit thomas.
Hec maleficia mecum abibunt. sed hoc cognosce quia nec hic de
erunt. Cogitabat quidem rex quemadmodum thomam occidi
iuberet. verebatur enim populum quia plurimi etiam de eminen
tioribus viris eius opera mirabantur et credebant in dominum ihesum.
Cum ipso quidem de civitate egredi cepit armatis septus. Populus autem pu
tabat quod ideo egrederetur urbem ut thomas ei aliqua suorum
operum demonstraret. Intendebant quidem in eum. qui putabant
quod aliquid ab eo rex vellet discere et ille regem docere.
Sed egressus rex mediam fere partem miliarii tradidit eum
quatuor militibus et uni prestantiori viro. ut ducentes
eum in montem. ibi eum percuterent. Continuit quidem rex vestigium.
ubi hoc militibus imperavit. Plebs autem sequebatur thomam eripere eum
volens. Cuius ad dexteram erant duo milites et ad sinistram
duo qui preferebant hastas. Ille autem eminentior tenens manum
eius pariter incedebat. Dicebat autem apostolus. magna et divina
misteria in ipso exitu revelari. Sicut quidem a quatuor militibus
ducebatur. quia ex quatuor constent elementis ea. uni habere
principia generationis sue. dominum autem ihesum ab uno percussum.